

JACOBUS ANDROUETIUS DUCERCEAU
LECTORIBUS. S.

CUM NACTUS ESSEM DUODECIM FRAGMENTA STRUCTURÆ VETERIS COMMENDATA
MONUMENTIS A LEONARDO THEODORICO HOMINE ARTIS PERSPECTIVÆ PERITISSIMO, QUI NUPER
OBIIT ANTVERPÆ, MIHI VISUS SUM OPERÆ PRECIUM FACTURUS, SI EA IN LUCEM EMITTEREM, TUM
PROPTER MEUM ARTIS ILLUSTRANDÆ STUDIUM, TUM QUOD EJUSMODI VIDERENTUR ESSE, UT
OMNIBUS STUDIOIS ANTIQUITATIS NON MEDIOCREM UTILITATEM CUM VOLUPTATE
CONJUNCTAM AFFERRE POSSENT. QUANDO VERO NON EST MEUM INVENTUM, NOLUI QUICQUAM
ADDERE AUT DETRAHERE AUTHORIS DESCRIPTIONI, NE HOMINEM DEBITA LAUDE MERITAQUE
FRAUREM, NEVE ALIENAM VIDERER INDUSTRIAM VENDICARE VELLE. QUARE SI QUEM FRUCTUM
HINC VOS PERCEPISSE SENTIETIS, IPSI LEONARDO ACCEPTUM FERTE. SOLUM A VOBIS POSTULO, UT
BONI CONSULATIS MEAM DILIGENTIAM IN IIS EDENDIS, QUÆ USUI VOBIS ESSE POSSUNT. VALETE.

AURELLÆ, 1550.